

Beiheft

2

S 187

1275 Juli 16.

[30]

Heinrich, Graf von Zweibrücken, entläßt seinen Schwiegersohn Hugo von Finn-¹⁸⁷
stingen für die Lebenszeit seiner Gattin aus der Lehensabhängigkeit.

Nos Heinricus comes Geminipontis notum facimus universis presentes inspecturis, quod nos de consensu Symonis, Everardi et Wallerami filiorum nostrorum Hugonem de Fenestingen generum nostrum a fidelitate et homagio, in quibus idem Hugo racione castri de Dymeringen et ville Rupretwilre nobis astrictus est et fuit usque ad hec tempora, absolvimus et acquitamus ac renunciamus pure et simpliciter omni iure, quod nobis et heredibus nostris in dictis castro et villa occasione dictae fidelitatis et homagii hactenus competit, quam diu Katerina filia nostra uxor eius vivet, hoc excepto et nobis salvo, quod, si prefati Hugo et Katerina prolem aliquam non procreaverint, ipse Hugo predictis fidelitate et homagio nobis et heredibus nostris restringetur, et ipsum castrum et villam a nobis et heredibus nostris recipiet et tenebit in feodum sicut ante. Si vero prolem ipsos procreare seu habere contigerit, volumus, quod absolutio, acquitatio, et renunciatio per nos superius facte in suo robore semper maneat et perpetuo observentur, et quod predictus Hugo et sui heredes dictum castrum et villam cum iuribus suis et attinenciis possideant tamquam bona sua allodialia et libere teneant et absolute, et quod dictus Hugo et sui heredes a nobis vel heredibus nostrisullo umquam tempore in dictis castro et villa ac eorum attinenciis occasione aliquius homagii turbentur de cetero vel vexentur. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Actum et datum anno Domini M^oCC^oLXX^o quinto, tercia feria ante festum beate Marie Magdalene.

Orig. Siegel ab; Kyburg Nr. 73.